

1777.

1667
10
9

DISPUTATIO POLITICA
De
TRIBUTO

Quam
PRÆSIDE
VIRO

PRÆEXIMIO ATQ; CLARISSIMO

DN. M. JOH. WOLFG. RENTSCHIO,

Amplissimæ Facultatis Philosoph.

Adjuncto dignissimo

Placido eruditorum examini

subjicit

AUTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPHORUS FRIDERICUS STEPHANI;

Custrinò Marchicus.

Ad d. 5. Julij horis matutinis.

in

ILLUSTRI AD ALBIM ATHENÆO

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

1667.

Handwritten signature



1111

ri
ti
ta
q
ly
q
fa
ra
ro
b
e
ci
E
b
ja
ri
d
u

P
C
c
f
A
L

IN NOMINE JESU!

Quod de Phormione monumentorum
consignatores & historiographi tradunt, nempe
disserentem aliquando copiose de re militari de-
risum ab Hannibale fuisse; id haud adeo iniquè mihi con-
tingeret, qui scholasticus meditari non tantum sed dispu-
tare tributa habeo in votis. Etenim materies hæc est,
quæ viros postulat, & qui præfuere Rebus pp. per iterata
lustra, Heroes. Quàm periculosum enim sit fari de iis,
quæ interiora intrant Principum aulaa contingunt, uno
fatemur ore omnes. Gusto jam mus picem, nequæ quod luna
radiis haud maturescat botrus, nescio. Sed quid tum ve-
rò? semotus semel calculus reducendus cum ignominia
haud est, verum aucupio potius juvandus aliunde, ut
extra lutum pes sit. Nimirum planam per generalia effi-
ciam tributorum indolem, ille vel huic publicæ rei detra-
cturus nihil. Hæc stipulatum spes lætat, me ab Hanni-
balis irrisione immunem impetraturum aliqua venia, qui
jam erectus in eo sum, quod prudentia civilis, quæ Impe-
riorum moderatrix est, non usui solùm, sed Academiarum
doctrinæ multum quantum debeat. Sit felix auspiciam,
ut agamus, quod res est.

THESIS. I.

Quoniam secundum Scaligerum per vocis cognitionem
provehimur ad notitiam rerum, nominis æquè ac rei
præmississe definitionem haud paniteat. Provocantes ad
Gellii lib. 13. descendere affirmamus, tributum à tribuendo,
quod ex privato in publicum tribuitur. Fidem sententiæ
facit Cicero lib. 2. de off. Danda. in quibus, est opera, ne, quod
apud majores nostros sæpè fiebat, propter ararii tenuitatem, bel-
lorumque assiduitatem tributum sit conferendum. Aliis à tri-
bu-

A 2.

bubus est, in quas olim Romæ divisi cives conferebant, ad-
utilitatem publicam tributa. Græcè dicitur *Φορὰ διὰ τῆς*
Ὀρέου quod est portare. Mecenas apud Dion lib. 52. vo-
cat *Φόρος*, Alemanus *Tributh oder Schoß*. Differt à vecti-
galibus, quod hæc ob viam, pontes pro rebus cum lucro di-
strahendis pendantur, illa verò ob fructuum onera & ratione
possessionis soli. Hinc Casiodor. *Is solvat tributum de-*
bitasq; functiones, qui possessionis noscitur habere compendium.
A stipendio Frontin. in lib. de limitat. agr. distinguit illa;
quod aliud ex agris vectigalibus collectum, hoc verò per
modica à singulis possessoribus collatum fuerit.

Q. II.

Ad indaganda felicius hæc tributorum genera non ni-
hil ad rem faciet causas investigasse & primordia. Si sa-
crum volves & evolves Codicem, negotio invenies facili-
omnium onerum & exactionum natalia ab ipsa constitu-
tione divina habere auctoritatem. Enim verò sicut huma-
næ consuetudinis aut potius malitiæ mos est, ut quamvis in
usum habeantur eximia, semper tamen nova, etiamsi indi-
gnissima, vel per admirationem exipiant. Ita quoq; cum
populus Israëliticus regiminis pristini pertæsus ad imitatio-
nem Gentilium *non sine exemplo amentia*, ut Sulpit. in histor.
Sac. lib. 1. loquitur, *libertatem servitio Regio mutare præoptá-*
ret, designabat DEUS Saulém, qui per Prophetam Samuelem
Regis futuri jus oratione gravi concipere atq; inter alia
monstrari populo curavit; fore, ut electus *Rex personis, sub-*
ditis eorumq; bonis onera publica sit irrogaturus 1. Sam. 8. v. II.
& seqq. qui locus an Dominium istud supereminens, quod
hodiè nonnulli sollicitant an verò duritiem Regis acciden-
tariam inferat, committant, inter se, qui hæc Theologi
insignes, nobis transilire septa religio est.

TH. III.

Certissimum verò est, intentatam jam horum origi-
nem vetustissimam, honestam & cum ipsis Regnis & provin-
ciis profectam esse. Non deserunt agentes hæc omnium
tem

temporum hystoriæ; nempè confvevisse subditos Magistra-
tibus aliquid pendere à primis Imperatorum incunabulis.
Provocare denuò ad 2. Sam. 8. v. 2. integrum esto; ubi, *fruges,*
inquit, *& vineas vestras decimabit.* Sic factus est Moab Da-
vidi serviens sub tributo 3. Sam. 4. v. 6. Menaham Israelitarum
Rex, ut Phul Regis Assyriorum hostilitatem à se removeret ac pò-
tiretur regno, mille argenti pondo solvit atq; pro pecunia conse-
ssim colligenda ditioribus indixerat tributum. Accedit hisce
ipsius DEi ferendorum tributorum tum generale tum specia-
le mandatum; Illud potissimum ex Matth. 22. v. 21. & Rom.
12. v. 7. corruscat. hoc verò ex aliis, ubi Deus ista concedit,
in gentes debellatas locis infinitis. Manifestum, quod ad
Moysen DEUS Deut. 20. v. 10. & II. ait, *si quando accesseris ad*
urbem aliquam ut expugnes eam, clamabis ad eam pacem & c.
& in seqq. *qui fuerint reperti in ea, erunt tibi tributarii sevientq;.*
Nec immotum, quales Cananæi ab Israëlitis devicti facti
fuerint. Salomonem fecisse sibi tributarios qui remanse-
rant à gladio Israëlis superstites ex Reg. 9. & 2. Paralipom. 8.
liquet.

TH. IV.

Profanæ hystoriæ hac in re fœcunda seges est; quis
adeò in monumentis hystoricis hospes est, ut nesciat Cyrum
primum Persarum Regem spontanea à subditis accepisse
tributa? Quem fugit Darius Histaspis filium atq; à Mago-
rum cæde hinnitu equi ad Regnum proVectum in provincias
viginti illud divisisse, divisumq; , quod pro tributo penden-
dum esset ipsummet æstimasse; Indè factum quoq; ut teste
Herotodo, lib. 3. ex Xenophonte de pædia Cyri. lib. 3. n. 12.
Cyrus quia mansuetus, pater; Cambyfes tanquam genio mo-
rosior, Dominus; Darius verò Quæstor sive Institor voca-
tus fuerit.

TH. V.

Quibus prælibatis *Tributum* cum Philosophis defi-
nimus, quod sit *pecunia populo imperata, quæ tributim à singu-*
lis proportionè censûs exigitur. Dico *imperata populo, ostensu-*

A 3

rus

rus simul exactionem tributorum, pertinere ad jus Majestatis præstationemq; esse signum subjectionis. Utrumq; ex quæstione illa seu dilemmate captioso, quod salvatori à Judæis objectum nosti, patet. *Licetné nobis Casari censum pendere an non? Proportione census*, ut memoratæ fidei, quod abstrahere à statu Reip. moderno velim, planè habiturus respectum ad mores Romanorum. Ibi cum viritim ante dies servii Tullii munia subirent pacis, fecit is, ut pro pecuniarum habitu, ut Liv. lib. 1. seu ut Halicarnasf. lib. 4. pro censu facultatum suarum conferret, quilibet tributum, quod ipsum tamen æqvitatæ normam nondum excedebat, damnatis capitum atq; ostiorum, de quibus infrat, ributis.

TH. VI.

Antiquitate nunc & definitione enodatis à scrupulorum voragine arcessenda tributorum causa venit. Inficiabitur nemo, natam Kemp. à societatibus partim simplicibus, partim compositis prodiisse, quo in post consensum fuerat in aliquem Regem, qui tanquam Lynceus in specula omnium salutem prospecturus esset; Hic cum tueri feliciter & sartam tectam conservare societatem aliter non posset nisi mediis ad ejusmodi provinciam necessariis, indulta subsidia illi, & gerendæ rei nervus, pecunia. Quæ cum aliunde, nisi ex iis, quorum salutem invigilabat, delibari haud poterat, videbatur, jam jam tacitè in id consensum, ut ratione jurisdictionis & administrationis, quam in principem transtulerant semel, eum quoq; bonorum quoddammodo effecerint dispensatorem, ut sc. urgente aliquando necessitate extrema aliquid ex privatorum bonis queat decerpere. Enimverò Magistratus dum subit munus, quo pax publica, muri, viæ publicæ, fontes & tandem patria communis, quo fruuntur omnes, conservetur, æqvum quoq; & per naturam justum, est, ab omnibus conferri tantum, quantum iis pro dignitate alendis tuendæve autoritati sufficit. Egregiè rem Menonius Agrippa apud Liv. lib. 2. deducere novit apologo peculiari; *Quemadmodum, ingens, totum corpus alimentis*
ven.

*ventriculo denegatis ad tabem redigi. necesse est, ita tributis Magi-
stratui denegatis extremam Reip. perniciem impendere.*

TH. VII.

Haud verò legibus tantum sed armis quoque ornatam esse Remp. oportere Tacitus lib. 4. c. 4. prodit. Et descendere id ipsum ex omnibus communi indigentia humana, quæ cum cum necessario plus habendi cupiditatem suscitasset, oriebantur ex cupiditate bella: ubi cum miles conscribendus non tantum sed alendus quoque sit, vacillant sine tributis stipendia, sine stipendiis arma, sine armis ipsa publica res. Quemadmodum enim corpus aliquod naturale & Physicum, quibus conglutinentur artus opportunè peragantur necessaria, convenientes requirit nervos, ita bellis quoque, atque cuius agmini similes conquisivisse in exemplum par est. *Disciplinam non potest servare jejunus exercitus Castrod. 4. Variar. lect. c. 13. ait: & Lamprid. in Alexand. Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, satur. & habens aliquid in Zona.* Nihil hos reditus aliud esse quam regiminis instrumenta jam dudum Kekermannus in system. polit. cap. 21. quæst. 328. evit-

TH. VIII.

Nec Tacitus hic tacet, *Pecunia inquam, solida Imperiorum compages, & opus est opibus sine quibus nihil fiet quod opus.* Vide Regnum sine retributibus, & habebis corpus sine brachiis humanum. Sensere id Lacedæmonii exemplo sibi satis funestò; Sensit idem Hannibal, qui, cum Imperium Romanorum jam jam quasi pedibus conculcaret passus expeditionis remoram in eo est, quod supplementum & in stipendium nummus à Carthiginensibus mitti negaretur, ut sic Imperio, quod magna opum vi ingredi non licuerat, uno quasi, ut Scipio opinatus est, exciderit momento. De senatoribus quibusdam Romanis Livius memorat, quod cum Nero in primo illo suo quinquennio erga subditos clementiæ specimen exhibiturus abrogandi tributis capisset consilium, magnificentiam quidem laudârunt, sed ea *strenuè quod*

quod status in Rep. aliud efflagitet. Hinc passim in Romanæ
historiæ Scriptoribus invenies, quod ita infesti Q. Metello
nepoti fuerint iidem Senatores, ut delere nomen & eripere
posteritati hominem nihil non tentaverint, solum eam ob
causam, quod de remittendo civibus tributo sanciverit legem.
Eundem suggillat iteratis vicibus Cicero ita sentiens: *Si
nulla res est* quæ bonorum animos, quos videt jam esse
commotos vehementius possit incendere, hæc certè
(legem innuens) est, & eò magis, quod portorii Italia sub-
latis agroq; campano, ne particula tributi quidem sit
præter vicesimam. De Sylla pollicentur, quod rata genera-
liter omnia habuerint Romani, quæcunq; vel in bellis civi-
libus vel in provincia geserat excepto senatusconsulto,
quod de remittendis vectigalibus posuerat. Viderunt hi
Romani & viderunt prudentes quod impossibile sit, ut sacris
tributis non illatis alioqvi Resp. conservetur.

TH. IX.

De arario ejusdemq; enconit, nisi paginae angu-
stia esset, nonnulla jam subjicerem. Decempedæ sit instar
unicum quod Flor. lib. III. cap. 13. in fin. relinquit: *Reipub-
lica nervi ararium*. Huic ditando alii quærent, aucupia
alia, quæ inter tamen magis consveta habes agrum publi-
cum, spolia devictorum, amicorum largitiones, sociorum
vectigalia, mercaturam, æstimationem earum quæ invehun-
tur aut evehuntur, & quod colore jam delinimus, *Tributum*,

TH. X.

Verum cum summa remedia non nisi summis ad-
hibenda morbis, tributaq; magis conservando quam ditando
arario quæsitæ sint, ad hæc ipsa quam diu in cæteris ad-
huc aliquid subsidii, frigolè deveniendum haud est; prout
Ludovicus filium admonuisse testamento legitur. *A ve-
ctigalibus & tributis abstineto, nisi te summa vis & necessitas
ac utilitatis publicæ justissima causa ad hoc compellat.* Astipū-
latur monito supremum numen DEUS T. O. M. dum Pro-
phetam jubet, separare possessiones Regias à bonis privato-
rum

rum ut habeant Principes, undè dignitatem tueri possint, ne bona subditorum decimare cogantur. Ezech. 45. & seqq. In signe quoq; de hoc ipso suppeditat testimonium Ciceronis disertum os: *Danda opera est, edisferens, ne ob tenuitatem ararii tributum conferendum, nisi, eò res redierit, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati parendum esse.* Sufficentem omnium prærequirit hîc intelligentiam, ne, cum nulla pecuniæ conquirendæ ratio odiosa adeo sit, quàm si extorqueatur aliquid singulis; plus à subditis invidiæ quàm adjumenti ex istis pecuniis expectet: Deinde inculcat, ad imponendum tributum *ararii tenuitatem* sufficere neutiquam, cum nihil perniciosius aut ad inflammandos plebis animos ad seditionem accommodatiùs hisce exactionibus Bodin. iib. 6. de Rep. putet, & tum maximè cum prægnans, & cuius causa obvia pendentium livorem non declinat. Hîc igitur id arcani diligenter notes velim, quod Tacitus lib. 3. annal. subministrat. *Bonus magistratus, inquit, sva-deat tributa quæ facile persuadebit, cum ejus consilium qui jubere potest, habeat necessitatis vim.* Ostendit Oedipus, quod etiamsi petitiones superiorum aliud verè nihil sint, quàm coactiones, nihilominùs tamen svasione potiùs, quàm vi aperta tributa exigi debere.

TH. XI.

Si verò in tantum Reip. facies nutaverit, ut fisco ad ferendum infortunium impari, ad delibandas singulorum divitias descendendum sit, cavendum adhuc sedulo est, ne (1) tributa grandia sint ac immodica (2) ne sordida, & auctoritate Magistratus indigna (3) ut proportionata; proportionem sc. non Arithmeticam, sed Geometricam. (4) ne cum apertissimo subditorum detrimento sint conjuncta. Quem si observaris quaternarium, officio fecisti quod sat est, à dente subditorum theonino immunis.

TH. XII.

Primam quòd medietatis observantiam concernit, meretur facile calculum quod Tib. Cæsar. Emilio Recto, B qvi

qui Ægypto præerat, consilii loco insuffuravit; nimirum, boni pastoris esse tondere pecus non deglubere, aut quod Petr. Heig. quæst illust. 17. n. 7. svadet: *Ita cives exprimendos esse ut supersit succus quem hauriant, ita radices atq; olera præscindenda esse, ut iterum crescant.* Observata hæc non tantum à Persis fuere, sed à Græcis quoq; donec Imperiò Monarchicò ad Romanos devolutò rebusq; undiq; pacatis Præside Quirino Augustus universum terrarum orbem retulisset in censum, descriptis, quæ cujusq; civitatis & familiæ essent facultatibus. Quæ verò indè? fabri, quas fecerant compedes, gestare ipsi cogebantur, dum emaceratis ad fundum subditorum crumenis spontaneas ferebant molestias. Urgebat extrema civium pauperies, extinguebatur studium obsequii, & renascebatur Magistratum contentus. Prohibant veluti ex Trojano eqvo tot seditiones, quarum vel illius unicæ, quæ Dalmatas inter surgebat, meminisse, sufficiat. Hi enim dum seditiosi quiq; jam fervebant, interrogati à Cæsare, cur ad rebellionem prorupissent? responsi locodabant, *Tu in culpa ipse, qui ad custodiendos greges non canes aut pastores verum lupos misisti.* Collimat hic Juvenulis quando Satyr. 8. ait.

Curandum imprimis ne magna injuria fiat

Fortibus & miseris tollas licet esse, quod usquam est

Auri & argenti, scutum gladiumq; relinquens,

Et jacula & galeam: Spoliatis arma supersunt!

Etenim cum indigentia sæpenumero vel optimis cedat in effrenis malitiæ magistræ, quis indignabitur adeò si forte per

per immoderatas ejusmodi exactiones ad extremam pau-
pertatis tabulam redacti eant præcipites? Dandum enim
nonnunquam aliquid veniæ est, & iis maximè, qui immerita
perpesi, misericordiâ digni sunt.

TH. XIII.

Deinde fordida & autoritate Magistratûs indigna
enascuntur tributa, quando insolens & immoderata fit ex o-
mnibus exactio. Sic non immeritò insolitis annumera-
bis tributis, quando Caligula pro eduliis, quæ tota urbe ve-
nibant, collegerat tributum. Culpabis, quando teste Bodino
lib. 6. de Rep. cap. 1. tributum ex lotio benè olet Vespasia-
no. Detestaberis quando de singulis corporis humani mem-
bris aliquid ex igitur à Frontone. Ejusmodi verò nova atq;
inaudita deprehendis, maximè verò inter veteres, tributa
passim. Imponeretur aliud fimo equivo, aliud aëri, aliud
pro captando spiritu, pro umbra, dum & Platanus ad solum
tributarium à Plinio, lib. 12. cap. 1. referabatur. Alia plu-
rima, quæ ad avaritiam excogitabantur, generatim jam præ-
tereo, id præfatus, quod unius cujusq; rei, cujus vel solum
nomen reperiri poterat cogendæ pecuniæ placuerit habi-
tudo. Non solum urbibus sed penè vicis castellisq; sin-
gulis præfecti, si acerbè modò aliquid extorquere didicerat
quis horum, is & vir, & civis optimus habebatur.

TH. XIV.

Secutus horum avaritiam pontifex Romanus non
in urbe sedis sanctioris publiæ tantum, sed per totam ferè
Italiam lupanaria fovet permittitq; vel ex unice Romæ col-
lue annuatim, ultra triginta millia coronatorum pro la-
ctis censu, quem vulgò appellitant *Milch Zins/ oder Huren-
Zoll*; accipiens. Tandem vel maximè detestandum tri-
butum est, quod ex usu rerum divinarum ne hodiè quidem
colligere erubescunt Pontificii. Questus de ritu isto exe-
crando jam olim est Erasmus Roterod. cujus locutionem
cum scapham schapham vociferetur, integrè pro duco.
Non datur baptismus, hoc est, non licet fieri Christianum nisi nu-

meres; Non comprobant matrimonium nisi numeres; Non audiunt pœnitentium commissa, nisi sperent præmium. Vix procul mota manu benedicunt, nisi dederis. Non Consecrant sacrum Calicem nisi data mercede. Deniq; non impertiunt corpus Christi, nisi numeres. Ut non dicam quanta messis colligatur ex libris, dispensationibus, indulgentiis, conferendis sacerdotiis, confirmandis Episcopis & Abbatibus. Non Psallunt gratis, non imponunt nomen gratis. Quid igitur? nihil fortè reliquum habes à tanta Pontificiis avaritia, quàm ut credas, Papam decem præcepta commutasse in unum; Da pecuniam!

TH. XV.

Modus sub quo tributa subditis imponimus & proportio, dicta supr. §. 9. fuit Geometrica. Hanc autem observari requirit diversa diversos inter cives suppellex. Etenim non idem tribui ab Iro quod dependere fortè Cræsus in ære habet, ipsa subministrat ratio, imò nihil sceleratius & ad eliminandum pauperem expectius effingi posset, quàm si in nummi tributarii dependence eadem quantitas bajulo cuidam sive scrutario, quæ mercatori tot amplissimarum divitiarum Domino imponeretur. Ita enim necesse esset, ut detecto de Iri tergo corio, planè tandem solum vertere necesse habeat. Detestatus hoc jam diu Salvianns est. lib. IV. & V. gubern. ubi inter alia prolixè disputata hæc miscet: *Grave & acerbum est in Rep. non equaliter & in communi tolerare omnes omnia, aut si tolerant, fiat ita onus tamen, ut pauperculos tributa divitum premant, ferantq; infirmiores fortiorum sarcinas. Hæc causa illa est cur sustinere non possint, quia major miserorum sarcina quàm facultas est.* Sacrum idcirco & religiosum Principi, esto, ut, quàm in præmiorum distributione, eandem quoq; in impositione onerum proportionem servet.

TU. XVI.

Applicabis nunc facile responsionem, quid de isto capitis tributo sentiant. Politici, quando nimirum pecunia
per

per capitationem viritim in singula personarum capita colligitur, ut pro capite masculi indictus olim aureus fuit, pro capite verò fœminæ dimidius singulis annis, quod tributi genus Turcis aliàs familiarissimum est. Damnavit id suo jam tempore *Cicero lib. 3. epist. 8.* ad App. Pulchr. tanquam acerbissimum, ut & in Imperio Romano Constantinus, cum vectigalia, hæc, etiamsi marsupium Principis explere videantur, tamen, quia vel naturæ juri contraria, imperanda, nisi extrema necessitatis tabula urgeat, subditis haud sint.

TH. XVII.

Suprema ergò notula succedit, & infallibilis rpii Principis ergà suos subditos character. Nempè ut, si exigente ita Reip. summa necessitate à tributo temperare sibi haud queat, nihilominus tamen sedulò prospiciat, ne ista, quàm necessitas efflagitavit, tributornm impositio aperte eorum, quibus imponitur, salutem turbet infestè. Non auscultamus hîc Arnold. Clapmar. lib. 1. de arcan. Rerump. cap. 13. cui arcanum est, ut potentiores plebem sivè populum medullitùs exsugant atq; ita Reip. frena, quæ ipsis commissa semel sunt, liberiùs tractent. Sicut enim hic tributorum finis primævus nihil aliud est quam publica utilitas, neq; Magistratui alia intentione exsolvantur, quàm ut sint & esse debeant societatis nutricii, patres patriæ, pastores populi, tutores subditorum utriusq; tabulæ custodes & executores, ita in iis colligendis Magistratum oportet esse circumspèctissimum, ut oculò quasi cœlum versus elevato unò, in terras alterum dejiciat; i. e. videat, ut jura illa, quæ usus publici ergò concessa ipsi sunt, in suam trahere malitiam semper erubescat.

TH. XVIII.

Neq; id aliud esse existimo quam injuria in Remp. manifesta si nummus pauperrimo subditorum cuiq; sub-

B 3

præ-

prætextu quærendæ publicæ salutis ereptus, in epulas, ludorum viscerationes, vel indignorum largitiones conferatur perperam. Cogitarent illi, opes magnas non tam multa capiendo quàm perexigua perdendo quæri. Et decipiuntur maximoperè isti, qui Magistratum divitiarum & pecuniæ non alium fructum quàm profusionem esse putant. Erravit eum errorem Sylla qui ex reditu publicæ rei adeò pingves & sæcundas plebi præbuit epulas, ut multæ quotidie asfatæ carnes abjicerentur in fluentem; at grande, eheu! & nefandum nefas. Velli caret auriculam isti, quod Tacitus. 2. histor. de Principe prodigo iudicium habet. *Pravum est largiri privatim, quod avidius de Rep. sumas.* Aut eò respiciat, ubi Cicero Grachi frumentariam largitionem meritò reprehendit, quod exhauriret ærarium. Quemadmodum idem ille in alio loco prodit. *Qui cupidi splendoris & gloriæ suas profundunt opes, ad rapiendi & auferendi injuriam perveniunt, ut ad largiendum copia suppetant.*

TH. XIX.

Laudamus equidem & veneramur libertatem in Principe ac magnificentiam, cum virtus sit vel Imperatoria Majestate haud indigna, & vocat Diocletianus eam propriam Principum dotem eò, quod Seneca dixerit; *melius Imperium beneficiis custodiri, quam armis,* quæ tamen ut religiosè intelligas, quicumq; provocabis necesse est. Referebantur enim thesi 8. superius quo ærarium ditari possit modi varii, ex quibus prioribus, si post Regiam regiè sustentatam familiam aliud in marsupio superfluum est, diffluere in egenos, aut de Rep. aliundè benemeritos quis non summè regium putabit? At tributorum nummulos, quos, nisi in extrema Reip. necessitate, vix cogitare nedum extorquere Principes accedunt, libertate absumere apertissimam in subditos testatur Principis injuriam, siquidem qui alium juvare vult,

vult, videre antè omnia debet, ne alium offendat, nec unum cooperire altare ut detegatur alterum. Præterundum hîc non est quod de Fulvio Flacco Censore Romanae Historiæ scriptor lib. 42. memoriæ prodit, nimirum, ut ædem Fortunæ equestris bello Celtiberico à se votam marmoreis tegulis, quarum aliàs maximâ penuria erat, tegeret ædem Junonis Lucinæ detexisse,; at quem sacrilegus audire à senatu sententiâ Romano habebat necesse? *Non ruinis templorum templa ædificanda quatenus nos ubiq; Dii immortales essent, sed spoliis aliorum alii colendi exornandiq;.*

TH. XX.

Quemadmodum in liberali nummorum erogatione peccant alii, ita ad corradendas omnium gazas prohi adeò nonnulli sunt, ut ordinariis istis publicæ rei (quamvis uberrimi sunt) proventibus nondum contenti omnigena collectarum impositione, ut olim centesimæ, quadragesimæ, quinquagesimæ, columnaria, hostiaria erant, aliquid contrahere quærant; qui tamen scirent immoderatum tale lucrû pœnam manere jam jam diutissimè determinatam. De quodam Angliæ Rege Eduardo non contemnendam consignavit historiam Iugulphus: videlicet, delectatum aliquandò ex magno auri argentiq;, quem ex tributo coarcervaverat injustè, acervò, vidisse ipsi apici in sedisse Diabolum; qua ex visione, cum exactionum iniquarum admonitus fuisset, tributum, quod Danegild tum vocabant, non amovisse tantum, sed quod exegerat cuiq; restituisse. Nec ultra fidem illud est nobis, qui novimus ipsum trinunum DEUM gravissimas in tales acuisse sententiâs. Durum est, quod veluti per tonitru minatur ejusmodi corrasori DEUS. *Cogita igitur inqviens quod morieris citò & generatio tua citò extingvetur. Mach.*

TH.

TH. XXI.

Neq; fortè fortuna modò factum, quando Divinus Propheta Deut. 17. in fin. vetat, *sibi multiplicare, eqvos, mulieres & ancillas, ne luxu suo subditorum sudores cogantur devorare.* Quæ cum plana fatis, iis qui nescire nolunt, amplificare supersedeo. Noto tamen quod dicat, *devorare*, ne ab omni participatione reddituum exclusisse Principem videar. In die est, Salamonem ex tributis annonam & familiam suam universam quam amplissimam habuisse legitur, regiè sustentasse, imò quod singulis mensibus in anno singulæ tribus necessariam, annonam Regi & domui ejus liberali manu præstiterint, neminem eorem, qui à limine tantum prudentiam Theologicam salutarunt, latere potest,

TH. XXII.

Accedit denuò notare, Magnatum summas divitias, non in speciosis ærariis sed subditorum propriis thesauris sæpenumerò consistere. Hi si boni sunt, dubitabunt nulli bona sua parata habere pro salute Principis, cujus beneficiò se conglomerasse ea & facta tecta possidere non ignorant. *Qui non ultrò aliquid conferre velit, ait Mecænas ad Augustum, cum Principis divitias suam securitatem ac copiam esse judicet, imprimis se ipsum continenter vivere ac nihil prodigere videat, sed re ipsa comperiat, publici salutis causâ id exigere, ut ceteris suis bonis tulò frui possit.* Cyrus quondam à sciolo nescio quo increpatus, quod in coercendos thesauros non intentus esset, eum ad locupletiores secum trahebat subditos, ibiq; à singulis certam pecuniæ vim petendo obtinendoq; monstravit, quo suos & quidem prudentissimè reposuisset thesauros. Non abludit ferè quod Constantinus sapius in ore habuisse fertur. Bonus Princeps, qui magis à suis diligitur, quam timetur, habet quicquid cives possident. Haud ultima nota est, quod Plutarchus de

Miltia-

Miltiadis filio Cimone Atheniensi curiosè notavit: Nimirum ille cum mirâ erga cives liberalitate & munificentiâ esset, factum aliquando, ut ipsi speciosum aliquod à Roseace Persa munus oblatum fuerit; cui ille verò id quæstionis proposuisset; *utrumne se illi amicum, quàm mercenarium mallet.* Et postquam suspenso ferè animo quid reponendum, in diversas traheretur partes, tandem, amicum, respondisset, concludebat Cimon. *Retine igitur argentum tuum. Nam si amicus meus fueris, quocumq; tempore voluero, ejus copiam apud te inveniam.* Ita enim Princeps nihil accipiendo à subditis ad summam necessitatem eorum benevolentiam sibi reservari curet, nec prius sacrum hanc anchoram moveat, quàm si ex reliquis cluctandi spes omninò denegetur.

TH. XXIII.

Non existimaveris tamen quasi ærarii nuditatem, quam amasse Vnetos olim *Comineus lib.2. bell.* Neopolit. testatur, paratæ supellectili simpliciter præferam, sed ad substratam materiam intelligas omnia, protestor. Habere enim pecuniæ publicæ diligentem rationem poterit Princeps, etiamsi ad asperam tributorum impositionem, nondum confugiat. Haud equidem induci poterò, ut credam, in Rebuspubl. tantam redituum sterilitatem esse, ex quibus, si piè collocentur, non dico sustentari regie sed ditescere mediocriter queat, cum pecunia quæ juste colligitur, possidenti primum, tum ipsi Reip. sat præstat, quæ verò ex subditorum suspiriis atq; iniquitate corrasa fuerit, quid àbstrusi aliud ex ea futurum, nisi dissipatio? Intelligebat id omninò Basilius Imperator, arbitratus, quod ignis non ita celeriter paleam consumat, ut malè & injustè congestæ opes abripiunt secum in perniciem vel justissimos thesauros. Ejusdem prudentiæ cum Basilio Apollinus in præceptis de administrando regno apud Philostratum in vita ejus est, dum ait: *Divi-*

C *tias*

rias magni estima, non quæ in occulto repositæ jacent; quæ enim hæ ab arenæ cumulo differunt? nec eas quæ ex collatione tributorum à gementibus hominibus proveniunt. Atrum enim sordidumq; putandum est, quod cum subditorum lacrymis proficiscitur. Et prostant pro supplendo arario aliæ viæ, quarum unam atq; alteram cum tetigerim supra cramben recoctam non apporto.

TH. XXIV.

Hæc tamen omnia, quæ hæcenus de tributo cumulavi alia de Romanorum alia de aliis in genere Rebusp. intellecta velim. Quippè quem haud præterit, quæ hodie Rerump. ab illis vetustissimis dispar facies sit. Idcirco generalia tantum pro fide in præfatione data colligere labor erat: quæ si alius pro genio suo illi atq; illi Reip. applicare integrum habeat, nullus invideo. Insuper tamen non dissimulo, quod Julius Pflug. in Orat. de ordin. Reip. German. conqueri habet. nimirum cum è publico & vectigalibus Imperii hodiè non modo nulli bellorum nervi sed ne pacis quidem valida subsidia Imperatori amplius prodeant non semper ad vehementiores insultus istiusmodi onera venire protrahenda, verum quoniam in deteriora secula & sic quasi in novum delati orbem sumus, calculum à linea nonnunquam dimovendum esse. Ex quo verò noli colligere, quasi ad arbitrium Imperatori fas sit imponere tributa quia remedium hoc extraordinarium est, ad quod tum demum recurrendum, cum redituum calculus ordinariorum expirat. Caspar Klock. de contribut. concl. 27. Addo quod absq; statuum consensu, maximè verò Archiprincipum Electorum indixisse aliquid Imperatori neutiqvam fas sit. Hinc fit quod nunquam non de contributionibus & contribuendi modo in Comitiiis agatur, in tantum, ut Paulus Jovius argutè dixerit *Pecuniam esse Comitiorum Germanicorum summam.* Arnold Clapmar. Tib. 6. de arcan. Rerum p. cap. 13. TH

TH. XXV.

In exemplum tributorum excogitarunt Principes quoque impositiones alias, quæ, cum pulcherrimæ, honestissimæ, toti que Reip. utilissimæ videantur, non labescente tantum sed validissimo rerum statu exerceri possunt, videlicet quando aliquam pecuniæ summam iis imponat rebus, quæ ad corrumpendos civium mores & luxum, sive effrenem hominum libidinem faces sunt. Referas huc licet innumerabilia vestimentorum ornamenta, colores pretiosos, gemmas, margaritas omnemque effaminatæ superbiæ supellectilem, pro qua comparanda plus quam quadragesies centena libellarum millia ex Gallia in Italiam transportari testis Limnæus est. Quod prodigalitatæ & proterviæ malum quam perniciosum Rebuspp. sit, exempla luxu & superbia everfarum Rerumpp. demonstrant satis. Sic enim ex ditiorum, qui sæpenumerò ultra dignitatem superbiunt, crumenis non tantum sublevari fucus sed pluribus vestium basilicarum libido vel citra violentiam amputaretur.

TH. XXVI.

Ejusdem ferè farinae vectigal Galli habent judiciarium, quod Carol. IX. Gallia Rex ad effrenatam litigantium licentiam cohibendam peculiari olim injungebat decretò quo de Bodinus lib. 6. de Rep. cap. 2. p. 1036. fidem facit, quod adeò laudabile sit, ut afflictis ærarii opibus Galliaque regno tum innumerabili litium multitudine oppresso salutarius excogitari potuerit nihil. Quod ipsum an Germanis, utpotè qui à Gallis, ut alia, ita ex litigiis aliquid participant, imposuisse fas sit, cujusvis privatae meditationi relinquo. Commendant verò maxime hæc tributa se, cum non exhausto tantum aut debilitato ærario sed omni tempore & in ipsis halcyoniis exerceri possint, utpote stabiliendæ, stabilitatæ, conservandæque Reip. utilia.

TH. XXVII.

Transire nunc quoq; ad examinandas omnes
 omnis generis pensiones, quæ aliquam cum tributis affi-
 nitatem habent, in votis esset, nisi oleas intra me conti-
 nere sacrum putarem. In viâ receptûs auriculam vel-
 licat, quod nonnulli, necio an per ignorantiam, an verò
 per malitiam sacratissimo nostro Imperatori aspergere
 allaborant: nimirum pendere eum Principi Turcarum
 annum tributum. Quod ipsum, si accipiunt in ge-
 nuina significatione vocabulum, ideò mihi absurdum
 videtur, cum omnis tributorum pensio secum inferat su-
 perioritatis recognitionem, quam cum a seclis ille Turca-
 rum Poliphemus vix ac ne vix quidem ad Calendas græ-
 cas demonstrare poterit. Inficias, non imus, magnam auri
 summam quotannis dependi à nostro Imperatore isti, ut
 videre est ex Epist. Solymani Ebramii ad Imperatorem
 Ferdinandum, quæ ad finem colophonis instar Busbe-
 quii addita est.

TH. XXVIII.

Id verò perfractè negamus prodire inde aliquod
 tributum. Tributum, uti jam dictum est, subditi præ-
 stant Magistratui in quandam superioritatis recognitio-
 nem, quam sola pensionis præstatione induci nunquam
 suffragio nos iuvat Schönbor. lib, 5. Polit. cap. 10. Hac
 distinctione jam illius Midæ aures prominent, quas aliis
 ejus sententiæ nugosis & clamoris homuncionibus non
 invidemus. Mittimus Turcarum Tyranno pecuniam,
 ne excursionibus suarum regionum infestet fines nostros,
 devastetq; nequaquam verò in servitutis aliquod aucto-
 ramentum. Deindè purgat ab injuria nos alia & soli-
 dissima quidem responsio &c. Imperatorem Sultano ali-
 quam concedere pensionem non quod Imperator,
 sed quod Rcx Ungariæ. Tandem ipsum Turcam ex
 pactione veteri Ætiopum Regi præstare pensionem, ut

Ægy-

Ægypti & montiū Arabiae accolis in agro Damasceno frui
libere possit provoco ad Bodin. in meth. histor. cap. 5.

TH. XXIX.

Omniñò nunc in specie descendendum esset in
personas; quibus in Rep. tributum imponendi facultas,
easq; quibus contribuendi hoc injunctum est. Prius ex
jam dictis patet, nimirum tributum præstationem infer-
re aliquam superioritatis recognitionem, ex qua deinde
facile evinces quod impositio spectet ad jura Majestatis:
Posterius tum ex singula ferè radiat thesi, tum ex ipsa re-
latorum natura. Illud forte dubiam nonnullorum
meretur sententiam, an Clericis quoq; eadem tributorum
exolutio injungenda sit? Nolim præjudicare ordini sa-
cro, vel cogitare aliquid quod fatigatos hominum sanctis-
simorum humeros aggravet. Dum verò nullibi ferè
non invenio quam piè atq; reverenter sese homines oneri
singulis ob bonum publicum ferendo submiserint,
nihil musito. Ipse Pontifex qui aliàs sui gregis homi-
nes à Jurisdictione seculari separat, patitur sortiri eos
forum Laici, dum de Feudo fortean habetur controver-
sia, doctus dubiò procul ex isto brocardico, quod *natura
causa trahat ad se personam, non personam naturam causa.*
Quod equidem, ad casum nostrum rectissimè flectimus,
qui superius ita definivimus tributum, *quod intuitu pos-
sessi soli conferendum est.* Quin imò dissimulandum pa-
riter haud est, quod extra rem possessam sæpenumero
pendere aliquid habuerint, videlicet, summa & extrema
Reip. necessitate id svadente. Franciscus I. subsidium im-
peravit Clericis cum continuis bellis contrà Carolum V.
ærarium fuisset exhaustum; idem legimus de Carolo M.
& aliis. Expedire feliciter rem videtur Hug. de S. Vi-
ctore. *Nunquam possessiones, inqviens, à Regia potestate
ita elongari possunt, quin si ratio postulaverit & necessitas,
& illis ipsa potestas debeat patrocinium, & illis ipsa posses-*



bonos debeant in necessitate obsequium. Verum, ut ingenuè fatear, superat materia vires in præsentia, qui indicasse nonnulla non pertractasse singula laboravi. Neque immemor quibus controversiis hoc tributorum chaos scateat; omitto sciens plurima, ea spe, ut quæ Musa crassiori infarcita, benevole Lector, inveneris, benigna interpretatione excipias. Id quò præstes facilius, svasor tibi Gellius lib. 13. cap. 2. est. *Quod in pomis est, inveniunt, itidem esse ajunt in ingeniis; quædam acerba nascuntur, post sunt mitiora & jucunda. Sed quæ gignuntur statim vieta & mollia atq; in principio sunt ævita, non maturo mox sunt sed putria. Relinquendum igitur visum & ingenio, quod dies atq; ætas mitificet.*

PAUSA.

Ad

VIRUM JUVENEM

Per-Eximium, Præstantissimumq; Consalium Dilectissimum,

Dn. CHRISTOPH. FRID. STEPHANI,

Magni PATRIS clariq; CANCELLARII, ad alta contententem FILIUM, cum publicè ex Politicis de TRIBUTIS Ipse AUTOR disputaret.

Nulla bonis privis supereminet usq; POTESTAS,
Quæ Tua, CÆSAR, habe; cetera lingue tuis:
Nam tondere docet, non excoriare: TRIBUTA
Danda POTESTATI, velleræ, non corium.
Hæc, STEPHANI, cum laude doces: sic strenuus unge;
Et STEPHANI Στεφανὸν, quanta TRIBUTA!
feret.

Joachimus Nerger,
D. & P. P.

Et

ET natura TIBI tribuit largissima dotes:
Et cultura sagax expolit arte, datos.
O minor; attribuet posthæc pia præmia
Virtus;
Ut Regi civis ferre tributa solet.

*Politis. DN. Auctori
gratul. P.*

PRÆSES.



PRudenter justeq; quibus Respublica nervis
Firma sagax maneat salva togæq; doces.
Non indigna facis clarò Patriæ atq; Parentis
Nomine, quæis gratam se Tua Musa probat.
Gratulor ex animo: meritò molimina tanta
Cum Patria excipiet laude decente Parens.

*ita gratulabundus acclamat
contubernalem*

Johann-David Schamroth




JUSTA potestati quod sint pendenda Tributa,
Ex Cathedrâ nobis doctus, AMICE, probas.
Et rectè, quoniam Dii sunt, quæis publica curæ
Res est, & dantur nonnisi dante DEO.
Perge

Perge ita: nec deerit tandem perpulchra corona,
Quæ STEPHANUM ornabit diva Themista
suum.

Subditus interea quisquis sis redde fidelis
Danda Potestati, da quoq; danda DEO.

*Politissimo ac Eruditissimo Domi-
no Respondenti, Fautori ac Amico
suo ex animo, & conterraneo præ
multis dilectissimo amicâ mente
gratulabundus apponebat Witte-
bergæ*

Bernhardus Fridericus Zieritz/
Cüstrino, Neo-Marchita.







Wittenberg, Diss., 1667

ULB Halle

3


004 716 299



Witten







1777.

1667
10
9

DISPUTATIO POLITICA
De
TRIBUTO

Quam
PRÆSIDE
VIRO

PRÆEXIMIO ATQ; CLARISSIMO
DN. M. JOH. WOLFG. RENTSCHIO,
Amplissimæ Facultatis Philosoph.
Adjuncto dignissimo
Placido eruditorum examini

subjicit
AUTOR ET RESPONDENS
CHRISTOPHORUS FRIDERICUS STEPHANI,
Custrinò Marchicus.

Ad d. 5. Julij horis matutinis.

in
ILLUSTRI AD ALBIM ATHENÆO

~~~~~  
**WITTEBERGÆ**

**Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.**

1667.

*H. M. W.*

